



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo Estiensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

deret portare coram gentibus & Regibus verbum Dei, & ad messem, quæ multa est, sufficere operarij pauci non possint, universitatem vestram monemus in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus cum idem Episcopus aliquos de fratribus vestris ad hujusmodi ministerium utiles & idoneos à vobis duxerit exigendos, sibi duos aut saltem unum de vestris collegiis singuli concedatis, ut cooperantibus ipsis, currat velociter sermo ejus qui emit- tit eloquium suum terræ. Vos denique, filij Abbates, super vobis ipsis. Datum Laterani 11. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO ESTIENSI.

Commissi nobis officij sollicitudo depo- scit ut iis quæ ad divini cultus am- pliationem pertinere noscuntur favorem studeamus benivolam impartiri. Cum ergo venerabiles fratres nostri Padeburnen- sis, Verdenfis, Raskeburgensis, & Rigen- sis Episcopi te in Episcopum Estiensis pro- vincia duxerint ordinandum, sicut ex lit- teris accepimus eorundem, nos quod su- per hoc ab ipsis providè atque canonicè factum est ratum habentes & gratum, præ- sentium tibi auctoritate concedimus ut in ea liberè officium exerceas pastorale. Da- tum Laterani 11. Kal. Novembr. pontifi- catus nostri anno sextodecimo.

DILECTIS FILIIS MILITIBVS Christi in Livonia.

Et si cunctis fidelibus cor unum in Do- mino & anima debeat esse una, spe- cialiter tamen ij qui secularibus desideriis abnegatis in medio nationis habitant infi- delis, putantes necessarium in carne mane- re solummodo propter fratres, servare de- bent spiritus unitatem, ut se tamquam Dei ministros irreprehensibiles omnibus exhi- bentes, ac lucentes sicut luminaria inter eos, ipsos ad æmulationem fidei valeant provocare. Noveritis autem ad nostram audientiam pervenisse quòd cum venera- biles fratres nostri Padeburnensis, Ver- denfis, & Raskeburgensis Episcopi T. quondam montis sancti Nicolai Abbatem, qui calciatus pedes in præparationem Evan- gelij pacis, infidelium multitudinem ad fi- dem Domino cooperante convertit, in Episcopum Estiensis provincie, quæ per Dei gratiam jam pro magna parte con- versa est, auctoritate nostra duxerint or- dinandum, vos eidem in evangelio labo- ranti non solum vestrum denegatis auxi-

Tom. II.

lium, sed etiam impedimenta paratis, nisi vobis certam concedat in eadem provin- cia portionem, non tam solliciti propaga- re nomen fidei Christianæ quàm conjun- gere domum ad domum & agrum agro us- que ad loci terminum copulare, quasi soli habitare in terræ medio debeatis. Præte- rea cum quosdam receperitis obsides ipsi Episcopo præsentandos, ipsos sibi præsen- tare postmodum renuistis, temporale lu- crum ex eorum retentione captantes, qui lucra hujusmodi detrimenta deberetis cre- dere propter Christum. Denique Christi evangelio præbere offenculum non ti- metis, dummodo vestras possitis possessio- nes & redditus ampliare. Ne igitur qui Christi milites appellamini, militare pro- bebimini contra Christum, universitatem vestram monemus attentius & hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus attendentes quòd non est regnum Dei possessiones & villæ, sed pax atque justitia & gaudium in spiritu sancto, extincto prorsus cupiditatis ardo- re, præfato Episcopo & aliis bajulis verbi Dei pro viribus impendatis consilium & auxilium opportunum, ab eorum impedi- mento sic penitus abstinentes quòd de vo- bis ad aures nostras clamores hujusmodi de cetero non ascendant; ne, si secus du- xeritis faciendum, concessis vobis à sede apostolica privilegiis, ex quibus assumere dicimini audaciam excedendi, vos redda- tis indignos, & à gratia quam hæcenus vo- bis exhibere curavimus excidatis. Datum Laterani 11. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO ESTIENSI.

Cum in memoria hominum non exis- tat quòd Estiensis provincia cuiquam fuerit metropolitico jure subiecta, præ- sentium tibi auctoritate mandamus ne cui- quam tamquam Metropolitano respon- deas absque mandato sedis apostolicæ spe- ciali. Tu denique, frater Episcopo, super te ipso &c. Datum Laterani 1 v. Non. No- vemb. pontificatus nostri anno xvi.

IOHANNI ILLVSTRI Anglorum Regi.

Sicut in arca fœderis Domini cum ta- bulis testamenti virga continebatur & manna, sic in pectore summi Pontificis cum scientia legis divinæ rigor districtio- nis & favor dulcedinis continetur. Vnde semper hanc consuevit moderantiam ob- servare ut verbera patris & ubera matris

KKKKK

Epist. 117.
Confirmat
ejus ordinatio-
nem.
Vide supra epist.
110.

Epist. 118
Eis commendat
eundem Episcopum.
Vide supra epist.
110. & seqq.

Epist. 119.
Eximitur à ju-
ridictione
Metropolitica-
ni.
Vide infra epist.
182.

Epist. 120.
Ejusdem argu-
menti cum
epistola 78.